

496

APPLAUSVS  
HIEROGLYPHICI  
SEDECIM  
NOBILIBVS IN-  
GENVIS AC ERVDITIS  
ARTIVM LIBERALIVM ET PHILOSOPHIÆ  
LICENTIATIS, CVM ANNO M.D.XCVII.  
Iulij, in alma Academia Olomucensi Societatis IESV  
Suprema Philosophiæ laurea siue Docto-  
ratus gradu decorarentur:  
Amoris & benevolentiæ ergò decantati  
A B  
EIUSDEM ACADEMIÆ  
Poëseos studiosis.



OLOMUTII,  
Ex Officina Typographica  
GEORGII HANDELII.

Anno: M.D.XCVII.

170133

170133



# NOMINA DOMINO- RVM MAGISTRORVM.

- |       |                         |   |
|-------|-------------------------|---|
| I.    | M. IOANNES STEPHETIVS   | Gliicensis Silesius.                                      |
| II.   | M. GEORGIVS MIELLIZKY   | de Viscouia<br>Nobilis Morauus.                           |
| III.  | M. IOANNES IOGVVEGÆVS   | Henrichouien-<br>sis Silesius.                            |
| III.  | M. CASPARVS AVCEPS      | Transyluanus Saxo S.P. Al.                                |
| V.    | M. IOANNES SIXTI        | Pragensis Boëmus.   |
| VI.   | M. NICOLAVS KASSOVIADES | Landskronensis<br>Morauus. Illust. Princ. Epi Olom. Alum. |
| VII.  | M. MATTHIAS IANCVLÀ     | de Viscouia Morauus.<br>Illust. Princ. Epi. Olom. Alum.   |
| VIII. | M. TOBIAS KVHNELIVS     | Hennersdorffensis<br>Silesius S. P. Alum.                 |
| IX.   | M. EMERICVS NAGI        | de TOLNA Nobilis<br>Hungarus S. P. Alum.                  |
| X.    | M. VALENTINVS HENSELIVS | Vratisl: Silesius.  |
| XI.   | M. NICOLAVS ECKSTEIN    | Forcheimen-<br>sis Ostrofrancus.                          |
| XII.  | M. GEORGIVS SCVLTETVS   | Nyffelius Silesius.                                       |
| XIII. | M. PAVLVS ZEGEDINVS     | Hungarus S. P. Al.  |
| XIII. | M. SAMVEL SIBELIVS      | Oppauiensis Morauus.                                      |
| XV.   | M. IOANNES SCINTILLA    | Cilicensis Silesius.                                      |
| XVI.  | M. SIMON STVRMIUS       | Transyluanus Saxo S.P. Al.                                |



APOLLINIS  
EXEGETICON EPI-  
GRAMMA AD POETAS.

SOCII LÆTVM PÆANA  
secuti. 10. Aeneid.

**M**ARCOMANNIACI diuino pectore Vates,  
*Si qua latet vestris vis generosa modis;*  
 Exercete stylum, date munera culta MAGISTRIS,  
*Ac HIEROGLYPHICAS promite mentis opes:*  
*Hoc petit antiquo sapiens ACADEMIA ritu,*  
*Postulat à vobis publicus illud honor.*  
*Vestra sed haud ullis stimulis est indiga virtus,*  
*Ad laudem siquidem gloria calcar habet;*  
*Ingenij Iuvenes ornentur & ingeniosi,*  
*Hoc Vatum facient ingenua ingenia.*

Ignatius Sirakovvsky à Pierkovv  
 Nobilis Morauus.

## I.

Dn. M. IOANNI STEPHETIO  
GLIVICENSIS SILESIOS.

## CURRUS TRIUMPHALIS DD.

Tuq; dum procedis io triumphe  
Non semel dicemus io triumphe.

Hor: lib 4. Od 2

E Leas ergo metas & maxima campi  
Sudasti spatia, & PRIMA BRABIA rapis?  
Scilicet aureolam, Miles fortissime, palmam  
Primus Palladiam, laureolamq; capis?  
Salve ergo PRIMVS preciosæ VICTOR arena,  
Palladis & Phœbi præsidium atq; decus.  
Nam quin sis varia pariter versatus in arte  
Doctorum poterit quis dubitare virum!  
Fonte Meduso Parnassia labra rigasti,  
Eloquiumq; tibi Suada diserta dedit.

Insti-

Instituitq; Sophum te summa Pallas in arte

Accessit studijs ingeniosus amor.

Es factus MAGNVS Vates, perdocte STEPHETI,

Orator MAIOR, MAXIMVS arte Sophus.

Ergò quis meritis non dicat honoribus esse

Affectum athletam, prælio in hocce graui!

Addo suam diues sapienti in pectore virtus

Sedem habet, id mores cum pietate probant.

Pro meritis igitur studijs, meritoq; labore,

Virtutem meritam, præmia digna manent.

Supremumq; decus supremus AGONIFER isto

Palladis in stadio nobilitante capis.

Hac modo laureola prima cum laude triumpha,

Et velut excellens Induperator oua:

Scande triumphales, DOCTOR supreme, quadrigas,

Victorem tantum gloria tanta manet.

Petrus Skydziensky à Skydzien  
Nobilis Polonus.



II.

Dn. M. GEORGIO MIELLICZKY  
DE VISCOVIA NOBILI MORAVO.

FRONDENTIE XILICE META Dd. 5. An.

VICTORES SQ. OSTENTAT  
EQVOS. 7. Aeneid.

*T*halia laurum Pieria manus  
Tenens adesto, sue Poëticis  
Parnassus undis te Camœnam,  
Irriguis tenet, aut Olympus,  
Suauiori voce opus est modo,  
Sonantiori plectro opus est tuo,  
Dum concino Laurum SECUNDAM,  
Quam Iuuenis pius est adeptus.  
Metam attigisti proximus inclitam,  
Equis citatis curriculum incitans,  
Ut proximos saltem occupares  
Viribus ingenij triumphos.

799

*Laus magna nulli cedere prælio,  
Nullisq; vinci casibus asperis,  
Exempla quod signant virorum,  
Qui peperere sibi trophya.*

*Applausus ergo te idem, & ouatio,  
Idem triumphus te celebrat Ducem,  
Eademq; Lauru te Minerua  
Bellipotens merito coronat.  
Themis polorum, qua rutilas plagas,  
Et lege justa temperat aquora,  
Sic reddit aquata bilance*

*Pro meritis meritos labores.*

*Doctrinam ad amplam nunc animosior  
Gressus valentes urge alacris, rogo,  
Ardor sciendi non tepescat,  
Quin mage progrediatur ultra;  
Pergas, honores iste honor augeat,  
Virtute partus tantus honor fuit,  
Nam latiores campi honorum  
(Mens sacra ut augurat) imminebit.*

*Proinde*



Proinde vires ingenij urgeas,  
Nouumq; calcar gloria det noua,  
Laxes equis & nunquam habenas  
Dum atheream capias coronam.

*Xon est meum* Nicolaus Lubomiersky No-  
*Tector ingenue* bilis Polonus.

### III.

Dn. M. IOANNI LOGVEGÆO  
HENRICOVIENSI SILESIO.

FASCICULUS UERNALIVM FLO-  
rum, quibus Apis insidet. DD.

Ac veluti in pratis vbi apes æstate serena  
Floribus insidunt varijs. 6 Æneid.

CVm Ver purpureum, virens, venustum,  
Vultu splenduit elegantiori.  
Ac aura ambrosia hortulos nouellos  
Gemmat tempore temperatiore,  
Rident arboreæ comæ virentes,  
Spirat flosculus & nouos odores;  
Tunc per florea regna diuagatur

Apis

Apis mellilega, imbibitq; succos  
 Hyblæos simul, Atticosq; rores,  
 Vnā Corycios Syriq; odores  
 Iungit, tecta struens faui è fluore;  
 Cuius roridulis fluunt labellis,  
 Stillatim noua mella, fasscarumq;  
 Cibis deliciae suauiores;  
 Non se pigritia quietiori  
 Dedit, dædalo labori & arti  
 Infudat studiosa apis, tenella,  
 Talis perpetuis die atq; nocte  
 Curis pectus amabile vrsit vſq; ;  
 Fuisti Aonidum comes Dearum,  
 Hinc pellucida, multiplexq; vena  
 Vati, quām lepidè & fluit decenter.  
 Secutus Ciceronis ora clara,  
 Quæſisti decus omne flosculorum,  
 Campos & nemora, hortulosq; vernos,  
 Ornastiq; Scholas potente lingua,  
 Suada hinc dulcibus insidet labellis.  
 Libros Socraticos lubentis, frequenter  
 Suxisti è folijs ijs liquores,  
 Fauo nectareo suauiores,  
 Odore Assyrio potentiores,  
 Sabæis violis fragrantiores,  
 Messibus Cypris valentiores;  
 Dignus quem Charites ament Sorores,  
 Dignus quem celebrent nouem Sorores,  
 Dignus Hesperides cui Sorores.  
 Ferant aurea mala post labores,  
 Alcidæ spolijs superbiores,  
 In hortosq; suos amoeniores,

B

Ducant

Ducant vere per aureos recessus,  
Et metro recreent Tibulliano,  
Aut versu vegetent Catulliano,  
Aut oda releuent Phaleuciana,  
Nouisq; Hendecasyllabis venustent:  
Iam tu collige sedula ô Melissa  
Apis delicias laborum honorum.  
Suge dulciola atq; delicata  
Hauri mellulâ bella, pressa, pura,  
O claræ Sapientiæ MAGISTER.  
Huc adsis juuenum corona docta,  
Daphnæa videas comas corolla  
Cinctas, Gnofiaca in polo corona  
Modis omnibus vsq; pulchriore,  
Nostro judicio venustiore,  
Nostris versibus elegantiore.

Mathias Schifferer Hungarus S.P.Al.

### III.

Dn. M. CASPARO AVCVPI  
TRANSYLVANO SAXONI.  
*PALMA DACTYLIS FOECVND A dd.*

MERITÆQ. EXPECTET PRÆMIA  
palmae. Virg 5. Aeneid.

TEllus vere nouo gramina parturit,  
Ornatur folijs vmbriferum nemus,

Gref-

Gressus ergo feram rura per herbida,  
 Vernalisq; decus conspiciam hortuli,  
 In quo grata mihi fætāq; dactylis  
 Præstans palma viret, germine nobili  
 Exultat, fruticans perpetuis comis,  
 Illam cui merito jure dicabimus  
 Palmam, tam egregiam, nobilem, olympicam?  
 Victori premium palma sit inclyta;  
 Qua quondam iuuenis conspicuus stetit  
 Eleus, referens palmea præmia,  
 Postquam curriculo puluerem olympicum.  
 Collegit, celebris metaq; dexterè  
 Euitata fuit præcipiti rota.  
 Quæsistī assiduis hasce laboribus  
 Palmas, a teneris vnguiculis puer,  
 Idcirco Iuuensem te modo Dædala  
 Pallas tergeminis ornat honoribus,  
 Non cessisti etenim ponderibus datis,  
 Contra nifus at es surgere celsius,  
 Hinc fructus peperit Diua scientia  
 Illustres, recreans pectora præmijs,  
 Doctarum quia habes præmia frontium.,  
 Extendas igitur brachia latius  
 Tanquam palma suis frondibus aëra  
 Amplectens, nitidè magnifica coma,  
 DOCTOR viue diu, vita imitabere  
 Palmas, haud pereat gloria nobilis,  
 Et justus veluti palma palæstrica  
 In cœlo vireas justitiæ tenax,  
 Sublimi feriens sydera vertice.

Matthias Rauch Olomucensis  
 Morauus.

## V.

Dn. M. IOANNI SIXTI  
PRAGENSI BOEMO.

*ANNULUS ACADEMICUS DD.*

QUALIS GEMMA MICAT FVL-  
uum quæ diuidit aurum. 10. Añ.

Qui studio rerum causas scrutantur *Ortus*,  
*Gemmarum varias mirantur acumine vires*,  
*Auri CHRYSOLITVS rutilanti lumine fulget*,  
*Pulcher cœruleo CYANVS se vestit amictu*,  
*Allicit *PRASIVS* multos splendente virore*,  
*MAGNETI ferrum vis est innata trahendi*,  
*Nonne suo arridet viridante colore *SMARAGDV*S?*  
*BERYLLO S auro prefert longinquis Eous*,  
*Purpureo XANTHOS nitet *Indica* gemma colore*,  
*Et fulget tanquam rutilus CARBUNCVLVS ignis*,  
*Praclarasq; inter gemmas laudatur *IASPIS**,

In ma-

In magnoq; fuit precio seruatus **A CHATES,**  
 Qualis Gemma micat, fuluum quæ diuidit aurum.  
 Talis gemma micas hos inter, **SIXTE, Magistros**  
 Ergo honor iste tuus tibi sit preciosior omni  
**CHRY SOLITO, CYANO, PRASIO, MAGNETE, SMARAGDO**  
**BERYLLO, XANTHO, CARBVNCVLO, JASPIDE, ACHATE.**

Ioannes Greschelius Olomuc: Morauus.

## VI.

**Dn. M. NICOLAO KASSOVIADI**  
 LANDSKRONENSI MORAVO.  
**LAUREUS RAMUS DD.**

ET VOS ò LAVRI CARPAM.

Virg. 2. Ecl.

**E**ntheæ Lauri canimus trophæum,  
 Aureum vati Pataræ plectrum.  
 Porrigas, doctos cupit ob triumphos  
 Laurus honores.

Frondium Laurus nitet vsq; pulchro  
 Tegmine, has nunquā Boreas, nec Auster  
 Tristis, aut brumæ rabies gelūue,

Priuat honore.

B 3

Tu decus pulchrum es nemorum venusta  
Laurus, vt vites super alnus alta  
Tollitur, sic se super hanc tua ingens  
Gloria tollit.

Cum neci Pythona dedit reflexum  
Pythicus pollens jaculis & arcu,  
Primus hac lauru sua laureata  
Tempora fecit.

Aonum sylua inferuit deinde,  
Quam leues Nymphæ celerésq; Fauni  
Irrigant lactis latice & suavi  
Nectare potant.

Absq; te haud colles Heliconis vllus  
Dextero cursu valet introire,  
Tu prius donas sacra candidato  
Præmia Vati.

Cæsarum postes nitidos opacas,  
Et Duces ipsos redimis potentes,  
Quando victores reuehunt ab acri

Marte triumphos:  
Clarus es victor, generose MILES,  
Difficultates superasti amaras,  
Prælio in magno Sophici laboris,

Ergò triumpha.  
Litteræ doctæ benè laureatum  
Te coronarunt viridante lauru,  
Plurimas tales numera, MAGISTER

Inclyte lauros.

Melchior Preinerus Olomucensis  
Morauus. S.P.Al.

## VII.

Dn. M. MATTHIÆ IANCVLÆ  
DE VISCOVIA MORAVO:  
*GLORIA SEIPSAM DD.*

: Se quantis attollet Gloria rebus.  
Virg. 4. Aeneid.

VEnit triumphans Gloria,  
Occurre lœtis gressibus,  
Vlnisq; plenis excipe  
    Reginam age hanc decoram.  
Sublimiorem Gloria  
Tollet MAGISTRVM ad æthera,  
Priuata tecta non enim  
    Amat potens virago.  
Venuſta virtus hanc parit  
In asperis laboribus,  
Cultorem amabilem suum  
    Facitq; gloriosum.

In primis autem literis  
Flustriorem prouehit,  
Titulog̃ majori beat,  
Sapientia MAGISTRVM.

Virtute multa Palladis,  
Venisti in arces arduas,  
Vicisti acerbos sedulis  
Laboribus labores.

Debetur ergo gloria  
Merito Sophis DOCTORIBVS  
Merces laborum, Gloria  
Et pr̃mium decorum.

Stet Magni Alexandri Ducis  
CAROLIQ. Quinti gloria,  
Propter trophya ab hostibus  
Partos & ob triumphos.

Platonis at Sapientia  
Et Tullij eloquentia  
Maronis & scientia  
An gloria carebit?

Te IAN-

Te fanculam ista gloria  
 Academica atq; dignitas,  
 Deduxit ad fastigia  
 Scientia probata.

Nicolaus Wiedmannus Silesius.

### VIII.

Dn. M. TOBIÆ KVHNELIO  
 HENNERSDORFFENSI SILESIQ.

*EPIGRAMMA PARODIANUM DD.*

IN VTRVMQ. PARATVS.

Virg. 2. Äneid.

AN Pallas tibi chara mage? an mage chara Thalia?  
 Chara tibi est Pallas, chara Thalia tibi.

Vtraq; chara æquè est, ipse æquè es charus vtriq;  
 Ingenio chara est illa vel illa tuo.

Nunc tu totus in hac, nunc totus viuis in illa,  
 Vtraq; & vna tibi est, quam pari amore colis.

Laurum fer Pallas, túq; alma Thalia, MAGISTRO,  
 Quódq; dabis Pallas, docta Thalia dabis.

Valerianus Neumannus Olom: Morauus.

C

Dn.

# IX.

## Dn. M. E M E R I C O N A G I DE TOLNA NOBILI HVN GARO. *DIUERSORUM DIUERSA DONA.*

**E** INVENTAS AVT QVI VITAM  
coluere per artes. Virg. 6. An.

**S**it fortunatus Gyges; venator Orion; ;  
lactet magnificus ditia regna Midas;  
Telipotens Chiron; valeat Citharœdus Arion; ;  
Picus equum domitor; Mars clypeoq; bonus;  
Sit Phydias sculptor; clarus Pompeius honore;  
Et grauitate Cato; religione Numa;  
Castor eques; Perseus cursor; fortissimus Hector;  
Magnus Alexander; summus Aristoteles;  
Facundus Cicero; Phœbus certissimus arcu;  
Musicus Amphion; sitq; Poëta Maro;  
Iste hac, ille illa fortuna & honore triumphet,  
Arte Magisterij, clare MAGISTER, oua  
(*Heroinum Carmen*)

Georgius Conradus Silesius.

Dn.

## X.

Dn. M. VALENTINO HENSELIO  
VRATISLAVIENSI SILESIO.

HONORIS ÆTERNITAS DD.

ET CEDRO DIGNA LOCVTVS.

Persius, I. Satyr.

*Arbores adeste nunc,  
Semper virentes qua comas  
Fertis omni tempore,  
Seu bruma seu ver imperet.*

*Buxus adsit f̄smena,  
Terebinthus, Abies, & Larix,  
Palma ramis ardua,  
Redolensq; Juniperi decus :  
Grata Laurus vatibus,  
Hederaq; interuireant comis  
Et Cedri constantia,*

C 2

Eius

Eius vetustatem integram  
Arborum & virentium,  
LICENTIATVS diligat,  
Digna Cedro perpetrans  
Æterno honore & frondeat  
Cedrus aternum ut viret.

Bartholomaeus Kichlerus Silesius.

## XI.

Dn. M. NICOLAO ECKSTEIN  
FORCHEIMensi OSTROFRANCO.

### VOTVM.

QVOD VOTIS OPTASTIS ADEST.

Virg. 10. Aeneid:

M<sup>E</sup>tellus Imperator Maximus  
Optasse scribitur quondam DECEM  
Res maximas, testante Plinio.

Vt belli-

- I. Ut belliger vir esset strenuus,
- II. Ut fieret Orator celeberrimus,
- III. Ut Imperator & fortissimus,
- IV. Ut magna gereret auspicio bono,
- V. Ut honorum haberet inclitos gradus,
- VI. Ut vir foret summa sapientie,
- VII. Ut esset & Senator optimus,
- VIII. Ut opes acquireret bonis modis,
- IX. Ut liberos multos relinquenteret,
- X. Ut in urbe tota esset clarissimus.

Hac Vota contigere ei D E C E M,

Vlli nec alteri post conditam,

Romam: ista num censes vulgaria?

Quod NICOLAE Votum erat tuum?

Nempe absolute cursu Palladis,

Ut eruditus fieres Artium,

M A G I S T E R, en Votum ratum fuit:

Vis Vota plura? si lubet, licet;

Sunt altiores in studijs gradus

Ad quos T H E M I S beata te vocat.

Michael Sampachius Silesius.

XII.

Dn. M. GEORGIO SCVLTE TO  
NYSSENO SILESIO:  
*CALATHUS MINERVÆ DD.*

Intactis opulentior Thesauris Arabum.

Hor. lib 3 carm Od. 24.

THE SAVROS, GAZAS, per fasq; nefasq; superbas,  
Quid tantis studijs accumulare juuat!  
Fascinat illa quidem multas dementia mentes,  
At qua Sors tribuit, Sors malefida rapit.  
Omnia consumit tandem longana vetustas,  
Principi casu sponte suáue ruunt.  
Hac præuidisti sapienti mente, GEORGI  
SCVLTE, inuentas jam tucaris opes.  
Thesauros siquidem vera sapientia amasti,  
Ex quibus aternus conciliatur honor.

Adamus Fritschius Silesius.

## XIII.

Dn. M. P A V L O Z E G E D I N O  
H V N G A R O.

G E M M A P H I L O S O P H I C A D D.

HANC MVLTO FLORENTEM

annos. Virg 8. Æneid.

Amoena pulchritudo  
Tandem cuncta senescit:  
Syluæ virore seculo  
Brumali spoliantur:  
Hortis decórq; cedit;  
Transit mobilis ætas;  
Et quod solum virebat,  
Post nix contegitalta.

A C A -

ACADEMIA OLOMUCENSIS

Gemmis attamen vſq;  
Abundat ac virescit,  
Quas non bruma perurit.  
Quarum è coronula vna  
Flores gemmula PAVLE.

Ioannes Heifelder Olom: Morauus

XIII.

Dn. M. SAMVELI SIBELIO  
OPPAVIENSI MORAVO.

SE DECIM MAGISTRI ACA-  
demia OLOMUCENSIS.

: Studijsq; fauentum  
Consonat omne nemus. Virg 5. Aeneid

Plausus

Plausus ingemina obuios,  
O GERMANIA nobilis;  
Gesti lœtitia noua  
MARCOMANNA fertilis,  
Venis Præsidium nouum, a  
Doctæ Palladis Artibus,  
DOCTORES igitur, tuum ac  
Doctum SIBELIVM excipe,  
Lœtis vocibus & modis,  
Stabunt pectore Martio  
Contra tartaream manum,  
Turpemq; hærefeos luem,  
O FELIX IVVENVM GENVS,  
SI VESTROS ANIMOS, AMOR  
QVO CÆLVUM REGITVR, REGAT.

*Fridericus Brandt Nobilis Silesius.*

XV.

Dn. M. IOANNI SCINTILLÆ  
CILICENSI SILESIO.  
CORNUCOPIÆ SAPIENTIÆ DD.

INDOCILIS PAVPERIEM PATI.

Hor. I. Oda.

LÆTUS TRIUMPHAT NAUITA, PROSPERÈ  
QUEM JACTIT ARUNT & QUORA PONTICA,  
CUM LITTUS ALTO CONSPICIT È MARI,  
POST VALIDAS HYEMES ABACTAS.

LÆTUS SUPERBIT MERCIBUS OPTIMIS  
MERCATOR HISPANUS, REGIONIBUS  
INDIS REMOTIS, CUM REDIT AD SUOS  
DIUES & INCOLUMIS PENATES.

SCINTILLA, FAS EST, LÆTIOR UT DIEM  
ALBO LAPILLO & CARMINE DENOTES,  
PONTI PROCELLAS NAUIBUS INTEGRIS

EXUPERASTI ALACRI LABORE,  
GAZAS REPORTAS & SOPHIAE SACRÆ,  
MUTARE QUAS NON CUM ATTRALICIS VELIS  
VERÈ SUPERBIS CONDITIONIBUS

O DECUS EXIMIUM MAGISTER.

JOANNES NITSCH SILESIUS.

## XVI.

Dn. M. SIMONI STVRMIO  
TRANSYLVANO SAXONI.

## EPOS &amp; DIOTO PUM.

Mantua me genuit; Dacia te genuit.

In illust: virorum Epitaphijs.

**M**antua Virgilio claret, Nasone triumphat  
Sulmo potens undis, Pythagorasq; Samos.  
Urbs Tyria eximum Carthago Terentium honorat,  
Ausonium celebrat Patria Burdegalis.  
At Pandionia jactant Demosthenem Athena,  
Pella ab Alexandri bella Trophaea gerit.  
Hesiodum ciuem celeberrima prædicat Ascra,  
Crispus ouat Roma, Nestore clara Pylus.  
Dacia te genuit, Sturmus preclare MAGISTER,  
Doctrinam poscit Dacia clara tuam.

Ioannes Piper Misnensis.

EPIPHONEMATA ET  
EPIGRAMMATA PRÆCEDENTIBVS  
ORDINE CORRESPONDENTIA.

AD PRIMVM PHILOS: DOCTOREM.

PHæbus equos currum quod tibi, que scandis, adornat;  
Ne Phaëtonas experiare vias.

Ad 2.

Puluere collecto metam contingis : at illa  
Victor ut ad palmam progrediare monet.

Ad 3.

Flores cum fructu, varijs & odoribus herbas  
Dum legis; ore fauos, munere vincis apes.

Ad 4.

Victori inuictam prabet Victoria palmam,  
Vincere perge, polo Dux tibi Pallas erit.  
Stanislaus Gueteter Nobilis Polonus.

Ad 5.

Quis te non digitis gestet, nonfronte, nec aure?  
Tot gemmis, SOPHIAE clarius arte micas.

Ad 6.

Laurea serta tibi jam pridem tempora cingunt;  
Tempora cur tanto laurea serta virent?

An fove nata tuas laurum delapsa per aures,  
Ingenij Pallas docta rigauit aquis?

Ad 7.

GLORIA sequentem fugio, fugientem sequor,  
Ut comprehendas me, fuge.

Ioannes Zimmerman Silesius.

Ad 8.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,  
Versibus ac illas amplificare suis.

Ad 9.

Ars & Sors tibi dent quacunq;<sub>z</sub>, EMERICE, mereris,  
Sors aurum, Ars laurum det tibi, plura cupis?

Ad 10.

Sic quoq; perpetuum vireat tua fama, MAGISTER,  
Istis arboribus ceu viret usq; viror.

Paulus Schrammius Morauus.

Ad 11.

Millibus è multis cui votum sufficit unum,

Vix SOPHVS unus erit, si tamen unus erit.

Millibus è multis cui Sors dat vota tot uni,

Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

D 3

Ad 12.

Ad 12.

*Huic Musa è vestris calathis date lilia plenis,  
Cui Jouis è Cerebro nata Minerua fauet.*

Ad 13.

*OLMVTIVM profert gemmas, gaudete Coloni  
Tam docta fulgent, quas & Olympus amet.*

Philippus Walnerus Austriacus.

Ad 14.

*Fortunata nimis SOPHIE studiosa juuentus,  
Si tamen agnoscis commoda opeſq; tuas.*

Ad 15.

*Quando OLOMCENSES SCINTILLA petiuit Athenas,  
Pallas ouans dixit: DOCTOR ouabis, aue.*

Ad 16.

*DACIA te genuit, DOCTOREm clara creauit  
MORAVIA, à quo nam munera plura solo?*

Stanislaus Riemer Nobilis Polonus.

## POESIS AD ZOILVM.

*IN silices acuas mordaces Zoile dentes,  
Liuor enim nihil hic quod bene rodat, habet.  
Candida carmina sunt, cantauit candida Musa,  
Candor inest vati, num tibi candor inest?*

Augustus Spächterus Austriacus S.P.A

511

## POETA AD MOMUM.

Erata hocce libro si quædam Mome videbis,  
Si vis, excusa judicio illa bono.  
Carmina Doctorum non hæc rere esse virorum,  
Simpliciore stylo carmina facta legis.  
Nam quis vbiq; potest oculato oculatior Argo  
Esse, sacri Vates nec malè scripta probant.  
Conatus Vatum potius laudabis & autus,  
Vtpote quos primum culta Thalia polit.  
Ergo parcendum tyronibus esse videtur,  
Mome, an tu verò singula ritè facis?

*Simon Scultetus Silesius.*

## IN LIBRVM:

*Sunt bona, sunt quadam mediocria, sunt mala plura  
Carmina, non aliter scribitur iste liber.*

Ioannes Bonne Compagnie Bastoniensis Burgundus.



M U M O N A D M O N

E f g h i j k l m n o p q r s t u v w x y z  
E d c b a r e c r o l i n i t r o l i s p o r o

C h u r c h S C h o o l s D o u g l a s C l i c k s A l b e r t s  
S p i c k l i c k l o c k S i a l o C o u n t s F i l l i p s L e g i s

N a m a g e s A p l e C o r r i s S a n f a r S o c i e t y S a n f a r

P h i l i p T r a v e l V a n c u f e r C a m p S o l i d a r i t y P h o n e

C o r r a n T a n n i B o r n e P o n d e r a t o L e s s e L o t o

A n d r e a s C o r t a n G o d s o n S a l i v a n

S u m m e R e p u b l i c a n U n i o n S o n g S u m m e


I N P I S A R Y


G e r a l d e s P a r t y D u r h a m C o u n t y D u r h a m P a r t y

C h a r l e s C o r n e r S o n C o r n e r S o n C o r n e r

T o n e s P o n c e C o n q u e s t E n f o

M u l t s P a r t y M u l t s P a r t y





konserwacja w roku ..... 2002

wykonawcy ..... Jadwiga Nowak

H. Sındıklı - opieka

zabiegi .....

Demontaż, oczyszczenie na sucho,  
depiel, membranowe i sklejenie  
montaż, uzupełnienie ubytków.  
Szycie na taśmy bawełniane.

Oprawa w skórfiankę,

miejsce przechowywania dokumentacji

bei dokumentacji szacownej

